





68

13

A

†





1579



ANASTASII  
MONACHI. MONTIS  
SINAI. ORATIO. DE  
SACRA. SYNAXI

Ac de eo, quod est, ne quem iudice-  
mus, nec iniuriarum memores  
esse velimus.

*Achille Statio Lusitano Interprete.*



ROMAE, Apud heredes Antonij Bladij  
Impressores Camerales, 1579.

Cum licentia Superiorum.

5.20. F. 58.

ERRATA

ANNALES

MONASTII

S. MARTINI

IN

URBE

ROMANA

MDCCCLXXXIII

ROMAE



ROMAE

MDCCCLXXXIII

ROMAE

GREGORIO. XIII

PONT. MAX.

ACHILLES. STATIVS

S A L.



*VI A*proximo superiore anno Beatissime pater meusculum meum, varijs quidem illud sanctissimorum hominum monumentis, quasi flosculis distinctum quibusdam gratum tibi fuisse intellego, idq. si ac-

cidisset, spondebam pluscula, promissimemor, priusquam scilicet cessanti mihi pars anni laetissima, quo tempore munus illud etiam dedissem, iucundum uer exit, hoc alterum munus adfero, non tam uoluminis, quam rerum ipsarum magnitudine aestimandum ac pondere. Fit autem sic, ut utriq. nostrum sane consulam, tibi quidem, dum ab ea, quam grauissimam sustines, occupationum mole ad unius horae amoenissimam lectionem, tamquam aliquem ad hortulum diuertis, teq. honestissime interim recreas atq. oblectas, mihi uero infirma ualitudine, breue aliquid, quod offeram, dum nimirum facilius atq. expeditius explico. Non est autem quod



uel auctorem commendem, uel o-  
pus ipsum laudem. Vir sanctis-  
simus, & multarum rerum scien-  
tia praeditus, sic, ut apis nisi mel, ni-  
hil nisi praeclarum facere potuit.  
Sunt in hac oratione plurima anti-  
qui moris, & consuetudinis. Qui-  
bus cognoscendis christiani hominis  
animus qua, Deus bone, uoluptate  
perfunditur. quanto pietatis studio  
incenditur. Utinam pater sanctissi-  
me, dum potes, idest, dum uiuis, ue-  
terem pietatem reuoces, & ad me-  
liora precibus, dictis, factis semper  
uocantem tuus te grex ducem sequa-  
mur, ut tota uia ueritatis iamdiu  
errantium lucifer aliquando tan-  
dem oriatur in cordibus. Ne, si  
superiora tempora culpa omnino nō

uacarunt, aetas priorum semper a-  
uisferat progeniem uitiosiorē. Vale.  
Dat. Romae. *IV. Kal. Maias.*  
∞ *D LXXIX.*




**A N A S T A S I I**  
**MONACHI . MONTIS**  
**SYNAI . ORATIO . DE**  
**SACRA . SYNAXI ,**

Ac de eo, quod est, ne quem iudicemus,  
nec iniuriarum memores esse uelimus .

*Achille Statio Lusitano Interprete*

Synaxis pio-  
rū in eccle-  
siam cōuen-  
tus, siue con-  
gregatio di-  
uini cultus  
atq. officij  
caussa, maxi-  
me commu-  
nicandi tem-  
pore, de quo  
plura nos in  
ecclesiastico  
glossario .



**P**IRITVS SANCTI gra-  
ria cum per omnem diui-  
nam scripturā semper nos  
ad Dei facienda cohortatur  
imperata; tum vero maxi-  
me ea quae per David pro-

phetam cottidianis psalmodiis emodulata  
omnino vsurpatur admonitio . Namq. li-  
ber psalmore Dei cultum docet, fidem  
fancit, temperantiam suadet, in Dei timo-  
rem, quasi in viam ducit, diuinam vīdictā,  
suppliciumq. commemorat, abstinentiam,  
pāenitentiam, compassionem, caritatem in  
Deum, patientiam, puritatem, longanimita-  
tem-

tem, ieiunium, beneficentiam docet. Ipsa enim adtentio, ac vacatio, quae tum ad orationē, ac diuinas adhibetur scripturas, fons est, & omnium parens virtutum. Quippe orationis vi quodcumq. postulatum, quodcumq. a Deo donum mitti solet. In ecclesiis, inquit, benedicite Deum. Et, In medio ecclesiae laudabo te. Quamobrem propheta nos vacare Deo adfidentes tamquam Deo ipso auctore necessario monet, his verbis, Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Neq. enim sine vacatione, multaq. apud Deum adfessione, quae orationibus diuinarumq. scripturarum lectionibus cōtinetur, vel ea, quae poscimus, impetremus, vel ipsum vere Deū sciamus. Nam si etiā his, quae facile pereunt, artibus incumbentes, cum diu multumq. operae impenderit, vix aliqua demum ex parte vilem artem discimus, quanto potius Deum nosse. eiq. placere, probariq. studentem oportet feruidum ipsum atq. incensum ad extremum vsq. vitae spiritum subuolāte illo anima, Deo semper vacare? Nonne vides multos mortales faciundae, augendaeq. rei parua secutos initia, occasione, quae se se obtulerit, arrepta, quasi incendio quodam, suarum aestu cogitationum rapi, auferriq. agitato? Festinat autem atq. ardet animo eorum quisq. atq.

ait

ait, oblatam occasionem dum teneo, dum quibus imperem, quiq. me audiant, habeo, dum quae res ad vitam degendam necessariae sunt, possum parare, ditescam, aedificabo, seram, rapiam, dilatabo, occupabo, priusquam vlla rerum existat commutatio, atq. cōuersio. Neq. neglegam, nec exspectabo. Quis scit, quid vehat posterior dies? Huiusmodi fere cogitationibus multi mortales daemonum astu, iniuriaq. commoti animis aestuant, sollicitantur, curis tamquam praefocantibus, nec quem sperarunt, fructum tamen referunt. His nihil pensi est, nulla de anima, de morte, de iudicio, de suppliciis cogitatio. Itaq. se prope nesciunt ipsi, se decipiunt ipsi. Atq. vtinam foret vnum hoc modo, neq. mutuo odissemus, conuitiaremur, insidiaremur, inuideremus, calumniaremur, inluderemus. Nec sua interim quisq. peccata attendit, nec onus considerat suum. Peccata proximorum acriter animaduertimus, ipsi ceno ceruicum tenus obruti, ne tantillum quidem propterea solliciti, nec ipsa etiam in senectute, nostra dispicimus, & scrutamur mala. Leuia fratrum nostrorum peccata diligenter intuemur, quaeq. in nostro est oculo, trabem minime videmus.

Matth. 7.

B  
quiri-

quirimus. Hostis nostri pedibus proculca-  
mur, ac premimur, nec sic quidem verecun-  
damur. Nemini parcimus, neminem vere-  
mur, omnes mordemus, voramus omnes  
atq. consumimus, magnos aeq. ac pusillos,  
noxios perinde, atq. innoxios. Hos quidē sa-  
cerdotes, illos magistros, ac duces nostros,  
cōsiliarios nostros, monitores nostros, alū-  
nos nostros. Propterea venit in nos ira  
Dei, propterea disciplina corripimur, mul-  
tisq. tribulationū casibus permittimur atq.  
iactamur, nostrapte nimirum duritia. Ma-  
gna omnino est caecitas nostra, magna in-  
curia, nulla nostra compunctio, nullus Dei  
metus, nulla in melius emendatio, nulla  
paenitentia. Quin potius nostra mens  
omnis ad malum prona, ad luxum, ad vino-  
lentiam, saepe vero dies totos in theatris, in  
turpiloquiis, ceterisq. diabuli operibus con-  
terere minime grauamur, & cibum quidem  
etiam propterea, ac domum, resq. maxime  
necessarias negligimus. At in ecclesia Dei  
orationis, & lectionis causa non horam tā-  
tum adesse, ac vacare volumus, & ab eccle-  
sia Dei quasi aliquo incendio summa nos  
festinatione proripimus. Tum si is, qui diui-  
num legit euangelium, paullo maiorem par-  
ticulam pronuntiarit, indignamur, oculosq.  
passim circumferimus. At si is, qui oratio-  
nes

nes dicit Sacerdos , paullo fecerit longius,  
tristamur,contemnimus. Is vero qui sacrifici-  
cium illud incruentum offert, si paullisper  
moretur ingressus, aedia victi dormita-  
mus, oscitamus, & perinde ac foro litibusq.  
nos orationi subducere studemus. Res ad  
inanissimas, & intemperatis vitae studia, dia-  
bulo instincti ire pergimus. Magna omni-  
no miseria, dilectissimi, magna socordia  
nostra est. Nam cum in omni orationis ac  
deprecationis genere intentos nos, arden-  
tisq. esse oportet, tum vero maxime in illa  
diuinorum operatione mysteriorum, ut in  
eiusmodi synaxi cum timore ac tremore ad-  
sistamus domino. Nunc autem neq. pura  
oratione, neq. cōtritis mentibus sensibusq.  
offerentes vtimur, lites, caussas, resq. vanissi-  
mas, his in conuentibus agitamus. Atq.  
hi quidem non qua puritate, quaq. paeni-  
tentia sacram ad mensam, sed quibus orna-  
ti vestibus accedant, vnice curant. Illi vero  
cum venerint, donec perfecta sint omnia,  
adesse ac manere nolunt, ac per internūti-  
os quid agatur in synaxi, quaerunt, Nunquid  
participandi iam comunicandiq. tempus  
venerit. Quod iam venisse vbi intellexe-  
runt, magno cursu insipientes, canum instar  
eo se se inmittunt, raptiq. pane mystico fo-  
ras protinus exsiliunt. Alij vero in templo

Dei non horam quiescunt, futiliter inter se  
garrientes, & ineptiis potius, quam oratio-  
nibus strepentes. Alij sacri ministerij, cul-  
tusq. diuini desertores carnis se se dedunt  
voluptatibus. Alij minime vacant, neq. su-  
am adtendentes conscientiam, peccatorum  
sordes agnoscunt, ac purgant, sed peccatorū  
potius onera sibi ipsis maiora etiam atq. eti-  
am cumulant, imponuntq. Feminarum pul-  
chritudinis, formarumq. studiosi spectato-  
res in ecclesia Dei effrenata, amentiq. libidi-  
ne sic vt in prostibulo versantur. Alij de  
mercimonijs confabulantur, horam illam  
prorsus horribilem quasi agendo, vtendoq.  
foro ducunt. Alij alijs inuidentes, ipsis  
etiam sanctum sacrificium offerentibus sa-  
cerdotibus minime parcūt. Neq. vero sunt  
horum extra numerum nonnullae quoq.  
mulieres, quae diabulo seruientes, in eccle-  
sia Dei non tam vacant orationi, quam spe-  
ctari, incautosq. ac simplices multos in erro-  
rem student inducere. Nos igitur duo illa  
genera virorum ac mulierum bipartita ora-  
tione complexi, ad eam, quā initio institui-  
mus, rationem redeamus, eaq. dicamus, do-  
leamus, quae nobis in speciem tantū Chri-  
stianis nostra ipsorum ignauia, diuinaeq. le-  
gis contemptio mala confecit. Quid enim  
gravius iis, quibus vtimur, moribus? etenim  
rapi;



rapinis, sceleribus, peccatorumq. multitudine cooperti, tantula modo aqua ablutis manibus sanctissimum corpus illud, diuinumq. sanguinem pro mundi salute largiter olim effusum, impuri, sordidiq. ori admouemus. An ignoras Iudam indigne doloseq. sumpto. domini corpore condemnatū, maliq. id est, diabuli ipsius insidijs magis tum demum patuisse? Ait enim, Et cum sumpsisset buccellam, statim introiuit in eum satanas. Non ytiq. panem eo facto contempsit diabolus, sed fumentem coarguit, qui sua illum cum damnatione sumpsisset. Nam qua, rogo, cōscientia, quo animo, quid deniq. cogitans ad illa venis mysteria? Te tua intus arguit conscientia. Quid enim? sordidis manibus regias vestes attingere non auderes. quid dico vestes regias, tuas, inquam, ipsius vestes nō nisi lotis manibus tangeres. Ergo quem vilibus indumentis, eum Christo honorem, minime tribuis. et tu venia dignus? Nec enim ingredi in ecclesiam, ac diuinas imaginum sanctarū formas, pretiosasq. ac venerabiles cruces etiam salutasse fuerit satis, non frigida manus abluisse, id vero est esse purum mundumq., sed peccatorum sordes abluisse, ac fugisse, sed confessione, sed lacrimis, sed contrito humiliatoq. animo, sed demisso contractoq. vultu peccatorum,

Ioh. 18.

quibus tenemur, catenas eluisse, ac tum de-  
mum ad illa sancta deceat accedere myste-  
ria. Sed lugere, inquires, non facile possum,  
nec intus saltem animo flere. Quia nimi-  
rum non elaboras, non sentis, non cogitas  
horribilem iudicij diem. At certe quantū-  
uis laboriose, tamen ingemisce, tristere. At  
risum certe compesce, atq. amputa. Elatio-  
nem animi abice, domino metuens adsta,  
eiq. oculis ad terram demissis, abiecte, humi-  
literq. de te sentiens confitere. An nescis  
qui terrestri regi, eiq. saepe etiam impio,  
adsunt, quam reuereantur illum praesentes,  
quam trepidantes in eum intueantur, nihil  
ne hiscentes quidem, nullā se in partem vel  
vertentes, vel mouentes ipsi, quiete vero ac  
trepide accedunt, adstantq. At nos, vt in  
theatro balneoue, sic in ecclesia Dei versa-  
mur, ridentes, iocantes, garrientes, fallentes  
nosmetipsos, quasi in ecclesia Dei minime  
simus. An ignoras ecclesiam Dei curandi  
animi locum esse, ac portum salutis? Ergo  
si nec illic aegrotanti tibi curari contingat,  
& in ipso portu iacteris, vbi nam demum  
consistes, aut conquiesces? State, oro, pu-  
denter, ac pie, statē metuentes, ac trepidi,  
metuenda prorsus sanctae illius oblationis  
hora. Namq. vt quisq. nostrum animo tum  
adstans adficatur, cogitat, sic quoq. sursum  
domi-

domino offertur. Anaphora enim dicitur, quod ad Deum sursum feratur. Ades igitur quieto contritoq. animo. Christo domino per sacerdotes tua confitere peccata. quidquid egisti male, tute damna, nec verecundare; est enim verecundia, quae adducit peccatum, & est verecundia gloria, & gratia. Coram Angelis, coram mundo ipse te codemnaueris, Christus te iustificauerit. Misericordiam, veniam, remissionem posce delictorum. posce in posterum liberum esse te atq. integrum futurorū, vt pro eo ac decet, diuina accedas ad mysteria, puraq. conscientia, corporis ac sanguinis domini particeps esse vt possis, tibiq. ad emēdationem, non ad damnationem beneuertat. Quid enim diuinus omnino Paullus dicat, ad tēde, Probet autem vnusquisq. semetipsum, ac sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus domini. Ideo inter vos multi infirmi, & inbecilles, & dormiūt multi. Vides imbecillitatibus, ac morte plerumq. eos capi, qui diuina illa ad mysteria indigni accedunt. Ecquis, fortasse inquires, dignus? Ego vero nec id sum nescius, fies tamen dignus, velis modo. Tu te peccatorem agnoscito, a temet ipso vitia excidito, malitia, iraq.

Anaphorae mentio frequēs in missa beati Iohannis Chrysostomi, & in epistula beati Germani Constantinopolitani episcopi ad Thomā episcopū Claudiopoleos, quae oxstat in posteriore Nicæna synodo.

I. Cor 11.

iraq. prorsus abstineto. Ostende vero paenitentiae opera; tēperantiam, mansuetudinē, longanimitatem rursus amplectere. Aliis te compati e iustitiae fructibus intellegamus, subleuandis scilicet pauperibus, eoq. dignum te feceris. Contrito animo Deum

Ps. 19. precare, & ipse implebit petitiones tuas. nisi enim id facias, frustra tempus in Ecclesia Dei conteras. Nec meus hic sermo est,

Matth. 7. sed domini vox ipsius. Quid enim, inquit, dicitis, domine, domine, nec facitis voluntatem meam?

Iac. 2. Namque fides sine operibus mortua est. Ergo, inquis, quia mala mea opera sunt, nec orare, nec me in ecclesia morari conuenit? Nequaquam vero id dico, aut hortor; orare autē quemadmodum decet, hortor. Ut adhibitis orationibus, Deo

Matth. 21. pro eius dignitate adsimus, ne nobis idem quoq. quod Iudaeis, Christus dicat, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autē fecistis illam speluncam latronum.

Quod si vendentes euentesq. Iudaico in templo pulsati a domino, eiectiq. sunt, mutuis iniuriis adfecti, & iniuriarū memores, quo supplicio, qua gehenna digni esse censeantur?

Quid agere debeamus ipsi, qui Deo militā dicausa nomen dedimus, & tamen diabuli partes interim atq. imperium sequimur? Quia vero mediator Dei, & hominum est

facere

sacerdos , proq. remissione tam multorum  
peccatorum Deum placat, atq. interpellat,  
omnis eos, qui adsunt, spectat, omnibus ca-  
uet, populumq. obtestatus, his propemodū  
verbis adloquitur. Quia me viri, mediato-  
rem, intercessoremq. ad Deum pro uobis  
mystica hac in mensa esse voluistis, mecum,  
rogo vos, animos vestros intendite, saecula-  
res cogitationes omnis prorsus abicite. cu-  
ram corporis deponite. Adest enim adten-  
rae orationis, nō inrequieti, vanaq. sectan-  
tis animi tempus. Quid diaconus vobis in-  
clamet, adtendite, Stemus recte, stemus cū  
tremore, sanctam oblationem adtendamus,  
cervices flectamus, mentē cogitationesq.  
nostras obfirmemus, linguā cludamus. cor-  
de animoq. subuolemus ad dominum, ani-  
mi oculos sursum tollamus. Caelum, ange-  
los, ipsa deniq. cherubim praeteruolemus,  
dominiq. ipsum ad thronū praecurramus.  
Inmaculatos Christi pedes teneamus, plo-  
remus, eius bonitati deniq. vim adfera-  
mus. Ad illius sanctum, supracaeleste, in-  
tellegens confiteamur altarium. Sic nos  
obtestatur sacerdos. Sursum, inquit, corda  
habeamus. Quid vero ad haec responde-  
mus ipsi? Habemus ad dominum. Quid  
ais, quid agis, cuius mens corruptibilia, tem-  
poraliaq. errans cogitat? de pecunia, de re

augenda, de uoluptatibus, de persequendis  
litibus, tantum sollicita, & audes dicere,  
Habemus ad dominū? Vide, quaeso, num  
sic animum sursum ad Deum habeas, an ad  
diabulum potius. Quid agis homo? Sacer-  
dos ipse pro te sacrificium offert incruen-  
tum, & tu spernis? Sacerdos tua causa labo-  
rat, atq. ut horribili in iudicio, sic altario ad-  
stans deprecatur, nimirum spiritus sancti  
gratiam ad se caelitus ut eliciat, & tu salu-  
tem non curas tuam? Ne uero te, ne sic post  
hac gesseris. Malam omnino, plenamq. le-  
uitatis istam porro tibi adime consuetudi-  
nem. cum sacerdote tua causa aestuante si-  
mul etiam clama. Eidem pro te deprecanti  
conlabora, tuam ad illius de tua salute uehe-  
menter solliciti, orationem adiunge. Mul-  
tum enim ualet deprecatio iusti efficax. Effi-  
cit autem plurimum, si cum sacerdote si-  
mul etiam ad labores, ac paenitentiae fru-  
ctus diligenter exhibeas. Nam si unus  
idemq. est, quiq. aedificat, opusq. coagmen-  
tat, quiq. dissoluit, etiam unus, quid susce-  
pti labores iuuerint? Quod enim peius um-  
quam opus dissoluitur, quam cum formida-  
bili illo diuinae synaxeos tempore non  
Christo modo, sed fratribus etiam suis men-  
titur quisq. memor iniuriarum, cum dici-  
mus scilicet orantes, Et dimitte nobis debi-

ta no-

Luc. 5.

Math. 6.

ra nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Quid loqueris homo? quid in Deum tam confidenter, ac iuueniliter agis? Injuriarum minime oblitus in fratrem ferum acuis, dolos struis, cor ueneno turgidum geris, clamas tamen Deo, Dimitte mihi debita, sicut & ego dimitto fratri meo. oratum, an mentitum ad Dei ecclesiam uenisti? Gratiam inde, an iram Dei peccata accumulans tua, ut reportares? Salutem, an supplicium ut quaereres? an ne illud quidē intellegis, ut ea de causa terribili illo tempore salutemur inuicem, ut tamquam diruptis uinculis, iniquitate, cordisq. duritia, puro ad Deum accedamus animo. Quid autem tu audes homo? Angeli sacro funguntur ministerio. Sexaliferi mensam mysticam obtegunt. Adstant Cherubim hymnum trifagion clara uoce canentia, seq. reuerenter inclinātia. Sacerdos autem tibi laborat, tibi misericordiam poscit. Omnibus deniq. cum timore ac tremore intentis, dum uide licet agnus Dei caeditur, dum Spiritus sancti gratia caelitus adlabitur, angeli nobis nihil uidentibus cunctum populum circumcunt, corda fidelium quasi digitum intendentes, ostendunt, & tamquam describunt, nec tu contremiscis, immo uero cōtemnis, & Iudaica salutatione fratrem salutas. Dirū

Matth. 4

Esa. 4<sup>o</sup>

S. Iohannes  
Chryso-  
stomus in mis-  
sa. Diuifu-  
rus Sacer-  
dos panem  
ditōit, Diui-  
ditur agnus  
Dei, qui tol-  
lit peccatū  
mundi.  
Matth. 26.  
& 27

serpentis uirus animo celas, fratri infensus,  
neq. tremis, nec coram eo concidis, qui cor  
dis nouit abscondita. dicisq., dimitte mihi,  
sicut dimisi fratri meo. Quid ab imprecatio  
ne differt huiusmodi precatio? In temet-  
ipsum sententiam pronuntias. si quidem  
dimitto, etiam dimitte. si modo ignosco,  
etiam ignosce. si compator, etiam compate  
re. si ueterum malorum iniuriarumq. con-  
serui mei non obliuiscor, nec tu quoq. obli-  
uiscere. si quid irascor, irascere. Qua mēsurā  
mēsus fuero, metire. Simulate si peperci,  
simulate etiā miserere. De me enim, domi-  
ne, fero ipse sententiam, qui plenam hor-  
roris uocem illam audiui tuam, Quia quā  
mensura mensi fueritis, uobis remetiar.  
Et, Nisi dimiseritis hominibus peccata eor-  
um, nec pater uester caelestis dimittet uo-  
bis. His ergo uerissimis tuis inductus uoci-  
bus, dimisi, peperci peccantibus in me.  
Dimitte igitur etiam tu domine, sicut &  
ego dimisi conseruis meis. Haec nos Chri-  
sto cum singulis orantes horis dicimus, tum  
illo timendae tremendaeq. synaxeos tem-  
pore, simul adstantes. Quod intellegens  
sacerdos, postquam sacrificium tremendū il-  
lud sanctificarit, panē uitae sustollit, eumq.  
omnibus ostendit. mox diaconus clamat  
his uerbis, Adtendite uobis ipsis. Nos autē,

con-



coniunctis animis esse nos ostendentes,  
Ecce, habemus ad dominū corda, dicimus.  
Rursus etiam puros uos, ac praeteritorum  
inmemores malorum profitentes, Deo di-  
cite, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus  
debitoribus nostris. cuius rei gratia mutuo  
etiam salutamus. Quia uero homo sum eti-  
am ipse, uestrarum cogitationum utiq. ignā-  
rus, meum de uobis iudicium nullum esse  
uolo, dignus, an indignus, horum partici-  
patione mysteriorum quis sit, omnino ne-  
scius. Atq. idcirco pronuntiō, sibi quisq.  
uestrum ut adtendat, cuiq. adsistat, etiam  
cogitet. Addit deinde Sacerdos, Sancta  
sanctis. Quid autem dicit? Videte carissimi  
quomodo ad diuinor. mysteriorum partici-  
pationem accedatis, nequis participatum  
adueniens audiat, Noli me tangere, recede  
a me operarius iniquitatis. Acceptae iniu-  
riāe memor longe a me, inquam, recede.  
qui fratri nondum pepercisti tuo, relinque  
munus tuum ante altare, & uade prius re-  
conciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeret  
munus tuū, ac participationis tum demum  
dignus esto. Lutum iniquitatis, omnisq.  
sordes proice abs te, & tum ueniens carbo-  
nem purgatorium cape dicens ei, Multor.  
peccatorum, ac debitorum, sāt scio, dominē  
debitor sum, sed quia sic praecipisti, fratri-  
bus

Iohan 20.  
Luc. 13.

Matth. 5.

Eccl. 6.

bus peperci meis, tua, domine, dignus ue-  
nia ut fierem. Haec, atq. horum similia sa-  
cerdos illa breui significans exclamacione  
subicere uidetur. Quamobrem omnem  
malitiam, omnem a nobis iniquitatem pel-  
lamus. si quidem uocatione, qua uocati su-  
mus, digne ambulare uolumus. Ne uero di-  
xeris, multa fratri condonauit meo, ille uero  
in me iterum peccauit. Tantumdem enim a  
domino audies. Ne dixeris, ille in me grauia  
commisit; domum meam adpetiuit in si-  
diis, agrum occupauit, filium occidit meū,  
multa mala mihi ostendit, me coniecit in  
uincula, in mortem tradidit. Haec ei neq.  
condonare, neq. reconciliari possum. Ne  
uero carissime, ne sic, oro, dixeris, quantum  
enim fratri tuo condonaris ipse, tantum  
quoq., & eo amplius tibi condonabit domi-  
nus. Imitare primum omnium martyrum  
Stephanū. Quid autē ille, dum lapidibus pe-  
teretur, obruereturq. dicebat? Domine ne  
statuas illis hoc peccatum. Imitare Iaco-  
bum fratrem domini, quem ueteres scripto-  
res, qui uitas, gesta q. sanctorum memoriae  
prodidere, pro iis, qui se conficiebant, oras  
se tradunt hoc modo, Domine dimitte illis,  
nec enim sciunt, quid faciunt. Imitare do-  
minum ipsum, qui salutis nostrae caussa  
mortem amplecti uoluit. Ac si in lignum  
frater

Ephes. 4

2. Tim. 4

Act. 7

Luc. 23

frater te tuus tolli uelit, cum domino etiam  
clama, Pater dimitte illi peccatum hoc.  
Eum qui domino decem millia talenta de-  
bebat, etiam considera. Decem uero mil-  
lium talentorum nomine, peccatorum one-  
ra intellege. Hic postquam ad domini ge-  
nua accidit, postquam paenitentia ductus  
est, postquam orauit, obsecrauit, peccatorū  
illorum ueniam impetrauit, quia uero ue-  
terum malorum meminisse postea uoluit,  
fratriq. non pepercit suo, remissione exci-  
dit, immo uero aeternae traditus est gehen-  
nae, atq. una modo mali memoria illum  
perdidit, grauissimis illis omnibus talento-  
rum peccatis grauior. Quamobrem oro,  
hortorq. tantum malum fugiamus, pecca-  
taq. condonemus. Sin autem scire uis quam  
sit quouis alio peccato grauior mali memo-  
ria, audi uero. Quodcūq. aliud peccatū bre-  
ui fit, breui finitur. uerbigratia, Adulteraris,  
cuius magnitudinem peccati secuta paeni-  
tentia transit ad agnitionē. Mali memoria  
numquam non urit animum, dolore sem-  
per aestuantem. Etenim surgens, cubans,  
orans, iter faciens, quisquis huic peccato  
tenetur obnoxius, nihil umquam intermit-  
tens, nihil interquiescens uenenum gerit.  
Ergo huic ad finis culpae, ac seruiens, Dei  
gratia numquam fruitur, neq. peccatorum

Luc. 11.  
Math. 18

ueniam

ueniam meretur. Cuicumq; enim uitium  
huiusmodi est insitum, nihil hunc omnino  
iuuerit, non ieiunium, non oratio, non la-  
crimae, non confessio, non obsecratio, non  
uirginitas, non eleemosyna, deniq. nullū  
bonum. Quippe omnia mali corrumpit me-  
moriam. Animaduertendum uero etiam  
atq. etiam illud, nec enim dicit, Si offers  
munus tuum ad altare, & recordatus fueris,  
quia habes aliquid aduersus fratrem tu-  
um, uade, reconciliare fratri tuo, & tunc  
ueniens offer munus tuum. sed dicit,  
quia frater tuus habet aliquid aduersum  
te. Ergo si fratris malum curare, ac corrige-  
re debemus, qua tandem uenia digni eri-  
mus ipsi, qui non modo id non praestamus,  
sed in fratrem malorū memoriam numquā  
deponimus, malumq. serpentis uirus ocul  
tuum gerimus? Complures compluries au-  
dio sic loquentes, Me miserum, qui salua-  
ri potero? Qui tu possis, ego uero ostendam.  
dimitte, & dimittetur tibi. En unam bre-  
uem, compendiariamq. ad salutem uiam.  
Ostendam tibi etiam alteram. Ecquam au-  
tem? Nolite, inquit, iudicare, & non iu-  
dicabimini. En tibi alteram uiam, sine ie-  
iunij, sine uigiliarum labore. Ne tu igitur  
fratrem iudica, quantumuis tuis ipsum ocu-  
lis peccantem uideris. unus est enim iudex,  
ac do-

Math. 5.

Luc. 6.

Math. 7.

Rom. 8.

ac dominus, qui reddet unicuique secundum Rom. 6  
opera sua. Vnus item Iudicii dies, in quo 2. ad Cor. 5  
adstabimus nudi prorsus apertiq. nihil ce-  
lantes eorum, quae gessimus, Deiq. pro-  
meritis misericordiam consecuturi. Nec Iohan. 5.  
enim pater iudicat quemquam, sed omne  
iudicium dedit filio. Quisquis ante Christi  
aduentum iudicat, antichristus est. Quippe  
eam, quae Christi est, dignitatem rapit. Ne  
igitur fratres, quaeso, iudicemus, si ueniam  
mereri etiam uolumus. Vides tu fortasse fra-  
trem delinquentem, sed idem nescis, quis  
illius uitae sit finis futurus. Namq. latro is,  
qui cum Iesu crucifixus est, homicida, Iu-  
das uero Christi apostulus, ac discipulus fue-  
rat, & quidem e ueris, germanisq. Christi  
discipulis, & breui admodum tempore  
quae commutatio tamen extitit, illius ad re-  
gnum, huius ad perditionem euntis? Verū  
esto, peccat utiq. frater, sed numquid etiam  
uirtutes illius nosti? Saepe autem multi cū  
palam grauissime peccauerunt, clam tamen  
ijdem grauissime doluerunt, paenitentiaq.  
egerunt. Itaq. peccantes eos uidemus, paen-  
itentiam, eorumq. conuersionem minime  
uidemus. Eos nos in peccatorum numero  
reponimus, qui in iustificatorum sunt apud  
Deum numero. Quamobrem, rogo, ne cui-  
iusquam iniuriae nobis inlatae meminere-

D mus

mus, ne quem iudicemus hominum, ante  
quam ueniat dominus iustus iudex, qui in-  
luminabit abscondita tenebrarum, & reue-  
labit consilia cordium. Præcipue uero Sa-  
cerdotem Dei de occultis, incertisq. pec-  
catis, quae de eo forte audieris, ne iudicaris,  
neq. dixeris, is qui offert, peccator est, dam-  
natus est, indignus est. Spiritus ad eum san-  
cti gratia non adlabitur. Tu uero horum  
quidquam ne cogitaris quidem. Alius est  
enim eorum, quae latent, iudex atq. quæsi-  
tor. Tu temetipsum agnoscito, teq. ipso  
maiores quemuis alium ducito, iusto iudi-  
ci toto cede iudicio. Sit autem sacerdos  
modo, qui in ijs quae de Deo sunt, dogma-  
tis nihil peccet, reliquorum nullum tuum  
est omnino iudicium, si nec alienata mente  
es, teq. tuo, quod aiunt, pede ac modulo  
metiris, & quanti demum sis, idem nõ igno-  
ras. Sed, inquis, non etiam censurae, & ec-  
clesiasticis regulis subiacet sacerdos? Plane,  
inquam, Sed non tu huius administer mu-  
neris sic in eum inquires, eumq. iudicabis.  
Sed a Deo iudicabitur ille, saepe etiam a ma-  
iore sacerdote. Tu uero ouis pastorem quid  
iudicas? Quid Pharisaeorum more Dei iudi-  
cium sacerdotalemq. dignitatem rapis,  
quam Deus tibi neq. dedit, neq. credidit?  
Quamobrem hortor, ne quem iudices, Dei  
sacer-

sacerdotem maxime. Accede uero diuina  
illa ad mysteria, fidem, perfectam paeniten-  
tiam, puramq. adterens conscientiam, & san-  
ctificationis non dubitanter compos fies.  
Namq. si uel angelus sit is, qui offert incru-  
entum sacrificium, tuq. accedas indignus,  
non a peccatis te tuis angelus repurgarit.  
Quod ita esse, Iudas ipse argumento est. Is  
enim purissimis illis de manibus domini  
sumpto pane diuino, quia nimirum indi-  
gne sumpserat, statim introiuit in eum sa-  
tanus. Quod si narratiunculam audire li-  
bet, ex qua utiq. intellegatis, eum, qui alios  
minime iudicet, iniuriarumq. obliuiscatur,  
peccatis liberari, absoluiq., contraq. si fa-  
ciat, peccatis obnoxium teneri, Christum  
dominum testor, eos, qui uiderint, etiam-  
num in carne uiuere. Vir unus ex ijs, qui  
monachali insigniti sunt schemate, cum ne-  
gigentissime, perq. summum otium uitam  
suam omnem egisset, ea, quae esset ad mor-  
tem, infirmitate coepit infirmari. Cumq.  
iam ultimum spiritum duceret, suam ipsius  
mortem nequaquam perhorrescens, sum-  
ma uoluntate, magnaq. cum gratiarum a-  
ctione corporis exsolutus uinculis excede-  
bat. Ad quem adfidentium patrum unus,  
frater, inquit, persuasum tibi habeto, & pu-  
tasse nos, & uidisse; summa negligentia,  
D 2 animiq.

Iohan. 19

animiq. remissione iuixisse te utiq. ad hoc  
usq. tempus. At unde haec nunc tibi tanta  
securitas, id uero omnes nescimus. Cui  
respondit frater. Est ita omnino patres, ui-  
tam per summam negligentiam duxi, sed  
angeli Dei eadem hac ipsa hora peccato-  
rum meorum ad me chirographon attule-  
runt, cumq. ea, quae fecissem, postquam  
saeculo renuntiassem, peccata legissem,  
numquid agnoscerem, rogauerunt. Quib.  
ego, maxime uero, inquam, agnosco. Sed  
idem ex quo renuntiaui saeculo, uitamq.  
institui monasticam, nec iudicaui quem-  
quam, nec ab ullo mihi factam iniuriam  
meminisse uolui. Igitur domini uerba illa  
ad me quoq. pertinere opto, atq. oro, qui  
dixit: Nolite iudicare, ut non iudicemini.  
& Dimitte, & dimittetur uobis. Quae post-  
quam angelis dixi, chirographon peccato-  
rum meorum consciderunt, & idem nunc  
summa cum laetitia, ac securitate profici-  
scor ad dominum. Haec ubi frater ille nar-  
rauit patribus, domino in pace spiritum  
tradidit, magnaeq. adstantibus aedifica-  
tionis, utilitatisq. causa atq. auctor exti-  
tit. Cuius utinam utilitatis, aedificatio-  
nis, partis deniq. seruandis nobis integris,  
expertibusq. ullius de proximo iudicij, ac-  
ceptarumq. iniuriarum memoriae, com-  
potes

Matth. 7.  
Luc. 6.



potes nos, ac dignos efficiat gratia, & caritas domini nostri Iesu Christi, quem cū nullius originis patre, cumq. sanctissimo, & uiuificante spiritu decet gloria, honor, adoratio, nunc, & semper, & in saecula saeculorum. Amen.

Practermiffum.

**B** Pag. 7. lin. 7. Ibi, & est uerecundia &c. notandum in margine. Eccli. 4

... de ...  
...  
...  
...  
...

Placitum

In ...  
...





